

## DE SUCCINO

cinum fossile est, aquam simul contineri, qui calorem arcet. Experientia testis est, pellucidum Succinum calida exhalatione citra flammæ adminiculum nigrescere, ac arte quodammodo in Gagaten conuerti.

Bituminosi igitur succi quo sunt nigriores, & ex crassiori substantia constituti, eò maiori caloris impetu resoluentis & depascentis aëreas ac oleosas partes, existimandum est eosdem esse torrefactos: quanto autem plus ijaduruntur, tanto magis sulfureo succo imbuuntur.

Primi generis ex his est Lithãthrax Germanis dictus Steinfol, vocabulo ex lapide & carbone composito, ceu lapideus carbo. Est autem talis carbo fossilis inter omnia bituminosa maxime ignobilis & omnium deterrimus, nullius in medicina vsus. Fabri ferrarij & ararij carbonum vice illis vtuntur, qui verò subtilia opera efficiunt, his non vtuntur, propterea quod sua pingui-